



1,6



I,6.













Contenta:

1. Christian Schoettgen de Vita Nicolai Marschali Thuri. Dresdae 1733.
2. Eiusd. Lob und Beschreibung eines goldenen Ordens des Andreas Solto. ib. 1734.
3. Eiusd. Memoria plagu Nauffungiani. ib. 1736.
4. Eiusd. Historisch Nachricht von dem Illuminationen. ib. 2. Laigig e. a.
5. Idem de Vita Siffonis Comitis Keuernburgici. Dresdae e. a.
6. Idem de maioribus Siffonis Comitis Keuernburgici. ib. 1737.
7. Idem —————. Prog. II. ib. e. a.
8. Eiusd. Erbn. Joh. Salffus Mathesii, Superintendent. zu Wurden ib. e. a.
9. Idem de Burggmuis Altenburgensibus. ib. 1738.
10. Idem —————. Prog. II. ib. 1739.
11. Eiusd. Historia terrae Plisnensis. ib. e. a.
12. Id. Historisch Nachricht von Sabina. ib. 1740.
13. Idem de Luitgardis, quae Conradi Magni Marchionis Misnensis ^{usq}fruct, origine
Suevica. ib. e. a.
14. Eiusd. Lob und Beschreibung D. Wolfgang Eulenbecks, Episcopi M. S. P. ib. e. a.
15. Eiusd. Historia der Ordens der Bursche. ib. e. a.
16. Idem de Colligion Bursche der Gesellschaft zu Dresden. ib. e. a.
17. Idem de Nicolao Episcopo Constantianensi, Dresdae sepulto. ib. 1741. c. effig.
18. Idem de prudentia Henrici, Martris Marchionis Misnensis, tempore interregni magis
exhibita. ib. e. a.
19. Actorum publicorum Numburgensium et Mansfeldensium v. r. F. S. n.
Johann Gottlieb Jammers. Jallr 1741.
20. Eiusd. Notitia Scholae Dresdensis ante tempora reformationis. Dresdae 1742.
21. Eiusd. Notitia Bibliothecae Scholae Dresdensis Cuccianae. ib. 1743.
22. Eiusd. Analecta quaedam Monasterii Portensis. ib. e. a.
23. Eiusd. Historia Burggrauionum Donensium. ib. 1744.
24. Eiusd. —————. Dis. II. ib. e. a.
25. Eiusd. —————. Dis. III. ib. 1745.
26. Eiusd. —————. Dis. IV. ib. e. a.
27. Eiusd. —————. Dis. V. ib. 1746.
28. Eiusd. —————.

29. Christian Schoettgen. *Nachricht von Fürst Drotzschs Erben.* Dresdae 1745.
30. Eiusd. *Nachricht von einem alten indischen Manuscript des Dnyfwartr und Indigro Salomonis (ex Bibliotheca Voogiana.)* ib. 1746.
31. Eiusd. *Analecta de Burgwardis Saxoniciis,* ib. 1747.
32. Eiusd. _____ . Prog. II. ib. 1748.
33. Eiusd. _____ . Prog. III. ib. 1750.
34. *Idem de antiquissimis litterarum in terris superioris Saxoniae fatis.* ib. 1748.



x 9

Q. F. F. Q. S.
EX HISTORIA MEDII ÆVI
DE
BVRGGRAVIIS
ALTENBVRGENSIBVS

DISSERIT,
SIMVLQVE

MVSARVM AC SCHOLÆ CRVCIANÆ
FAVTORES AC PATRONOS

AD AVDIENDAS

D. XXV. APRIL. clo lo cccxxxviii.

ORATIONES VII.

HONORIFICE INVITAT

CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS,
RECTOR.

DRESDÆ,
LITTERIS HARPETERIANIS.

EX HISTORIA MEDIÆ
BARCK RAYNS
ALPHABETI CLASSIS
PETERUS AB SCHOLÆ CRUCIANÆ
EASTONÆ & TATONOS
ORATIONES VII.
LONDINI
CHRISTIANÆ UNIVERSITATIS
MDCCLXXII





NOTITIA BVRGGRAVIORVM ALTEN- BURGENSIVM.

*



Burggravii Altenburgenses non omnino nullum in historia Saxonica nomen obtinuerunt. Et hodie- num insignia ipsorum tum ab Electoribus, tum quoque Ducibus Saxoniae retinentur, id quod non sine ratione ab iisdem factum esse quilibet facile existimabit. Quapropter utique operæ pretium erit, ut de illis aliquid finis solliciti. Quamvis vero non omnia sic exhausta proponere queam, ut nihil de illis porro monendum esse arbitrer, tamen primas hujus notitiæ lineas ducere non erit prorsus incongruum. In duas autem sectiones laborem dispescemus, quarum prior Historiam sive nudam relationem eorum, quæ de his Burggraviis occurrunt, continebit: altera vero, quæ proxime sequetur, noticiam eorum pragmaticam exponet.

SECTIO I.

Historia Burggravorum Altenburgensium.

§. 1.

Vlricus, Burggravius incertus.

Primum ex his Burggraviis vulgo tradunt Vlricum, qui ab Henrico Aucupe statim post has terras occupatas in hanc dignita-

A 2

tem

tem constitutus fit, qui prælio ad Martisburgum contra Hunnos, & postea ludis hasticis sive torneamentis Merseburgicis interfuerit. Testes hujus commenti sunt Ruxnerus, Albinus, Drefferus, Vulpius, & quod mireris, ipse Paulus Martinus Sagittarius, qui alias ultra vulgus sapere didicit. Sed eadem facilitate, qua hæc ab aliis finguntur, ab iis, qui meliora sentire didicerunt, rejiciuntur, hæc ratione inductis, quod nullus antiquiorum scriptorum illius mentionem facit.

S. 2.

HENRICVS I.

Occurrit a. 1172. inter testes in litteris foundationis & confirmationis monasterii Altenburgensis. (a) Neque testis solum fuit. Nam prout testatur pronepos ejus Theodericus in diplomate a. 1301. dato, (b) *hic in initio foundationis ipsius Ecclesia pro fundo monasterii & ambitu camiterii & structura adjacentis, & populi circumscendentis, totum montem cum metis & limitibus suis aquas attingentibus, cum omni jure & judicio, tam vitæ quam mortis, emunitati tradidit per manum Gloriosi Domini Romanorum Imperatoris FridERICI primi &c.*

In litteris memoratis a. 1172. mentio fit etiam *Rudolfi de Aldenburg*, qui Imperialis Curie Marscalcus fuit, sed qui militis tantum nomine citatur in altero diplomate a. 1301. quare ad nostros non pertinet; uti nec *Sifridus & Gerbardus de Aldenburg*, quorum a. 1181. in diplomate monasterii Pegaviensis mentio fit. (c)

S. 3.

HERMANNVS.

Fuit una cum aliis Burggraviis & ministerialibus a. 1200. in provinciali placito Colmicensi, & inter testes occurrit, quum Theodericus Marchio Misnensis fines monasterii Dobrilucensis confirmaret.

- (a) Dipl. apud Schwartzium Mantissa ad Petri Albini Geneal. Comitum Leisnicensium p. 1069. 1071.
 (b) Dipl. ibid. p. 1180.
 (c) Dipl. apud Ludewig Reliqv. II. p. 201. & Schwartzium p. 1027.

ret. (d) Vbi notandum, quod a Schlegelio, qui avtographum manibus trivisse videtur, expresse editum sit *Burgravius de Altenburg*; in editione autem Ludewigiana scribitur *Burgravius de Hartburg*, quod miror & in versione antiqva Germanica occurrere. Quia tamen Burggravios *de Hartburg* alibi nondum inveni, hunc sane Altenburgensibus non immerito vindicabimus.

§. 4.

ALBERTVS I.

Henrici I. filius, id quod testatur diploma a. 1301. modo §. 2. adductum. Mentio ejus prima vice fit a. 1212. in transactione inter Ottonem IV. Imp. & Theodericum Marchionem Misniae, ubi inter sponsores, qui pro Imperatore promiserunt & jurarunt, invenitur. (e) A. 1221. 15. Kal. Aprilis interfuit tricenario post excessum Theoderici Marchionis celebrato, & inter testes connumeratur, quum monasterium Veteris Cellae ab omni telonio immune pronunciaretur. (f) A. 1222. 8. Id. Junii, quum Ludovicus Thuringiae Landgravius, tutor Henrici Illustris, placitum provinciale in villa *Delz* juxta Weissenfelsam celebraret, Albertus noster una cum aliis multis adfuit. (g) A. 1223. Albertus de Vroburg, Praefectus in Aldenburg, una cum aliis senioribus illius terrae coram Gunthero de Crimascowe, Judice provinciali terrae Plisnensis in favorem monasterii Aldenburgensis de piscina quadam testimonium perhibuit. (h) Naturae debitum hic Albertus persolvit a. 1228. vel 1229. quod testatur diploma Engelhardi, Episcopi Numburgensis, a. 1229. datum, in quo legitur, ipsum in Ecclesia S. Mariae in Altenburg, & quidem ad altare S. Pauli, sepultum esse, ante obitum vero tres manfos in *Lubevitz* eidem ecclesiae donasse, unde quadam ad usum lu-

A 3

mina-

- (d) Dipl. apud Schlegelium de Cella Veteri p. 36. Ludewig. Reliqv. I. p. 36. Schwartzium p. 1029.
 (e) Dipl. apud Maderum Antiq. Brunsvic. p. 128. Schwartzium p. 1031.
 (f) Dipl. apud Knauthium Chron. Vctero-Cellenf. VIII. p. 54.
 (g) Dipl. in hist. mea Wurcensi p. 722.
 (h) Dipl. apud Liebium in Spicilegio historiae Henrici III. p. 16.

minarium, alia in anniversario illius eroganda essent. (i) Idem Albertus monasterio Altenburgensi quatuor mansos castro & Lyfavia adjacentes pro XCV. marcis vendidit, quam pecuniam in obsequio Friderici II. Imperatoris expendit, qui ipsi propterea civitatem *Lopscbitz* hæreditario jure possidendam concessit. Porro idem eidem monasterio quinque mansos in *Stenewize*, quos Andreas miles dictus de Lifavia ab ipso beneficii loco tenuerat; item tres mansos in villa *Gnasvitz* cum suo principali, videlicet duobus talentis & duodecim solidis, monasterio jam dicto in usum Infirmaria & Custodia, concessit. (k)

§. 5.

HENRICVS II.

Præfectus de Aldenburg a. 1227. inter testes occurrit in litteris Engelhardi Episcopi Numburgensis, in quibus dotem villa *Trebe-ne* confirmat. (l) Plura de eo nondum inveni.

Monachus Pirnenfis, Jo. Lindnerus, Juttam, monasterii Cronschvizensis fundatricem, ex Burggraviis Altenburgensibus oriundam esse credit, sed falso. Scriptores enim domestici testantur, eam ex Advocatis Weidenfisbus prodiisse; quod hic monendum fuit, ne quid omisisse videamur.

§. 6.

ALBERTVS II.

Alberti I. filius. Hic donationem patris, de qua superius ad a. 1229. mentio injecta est, post mortem ipsius confirmavit & ratam habuit. In litteris autem illis patris ipsius *Conradus de Froburc*, & *Henricus de Flugellesberc*, cohæredes ipsius, adjiciuntur, quod inferius nobis ad Genealogiam concinnandam alicui usui erit. A. 1236. inter testes habetur in diplomate monasterii Buchensis A. 1255. testis fuit in diplomate monasterii Dobrilucensis(m) &

(i) Dipl. apud Schwartzium p. 1072. 1181. & Liebium p. 45.

(k) Dipl. apud Schwartzium p. 1181.

(l) Dipl. apud Liebium p. 24.

(m) Dipl. apud Ludewig Reliqv. I. p. 78.

& anno sequenti in aliis litteris monasterii Altenburgensis, utrinque in comitatu Henrici Illustris Marchionis Misnensis. (n) Eodem anno in litteris modo dicti monasterii, quas Erkeribertus Burgravius de Starckenberg exarari iussit: (o) ipse quoque eidem monasterio quosdam census vendidit, quibus litteris ab eodem postea transfumptis monachi inseruerant, tres mansos in villa *Gnaschwitz* a patre ipsius monasterio sapius memorato in proprietatem collatos esse. (p) A. 1262. una cum Henrico Episcopo Merseburgensi litem inter Albertum Episcopum Misnensem & Hugonem de Wolckenberg composuit. (q) A. 1267. Albertus senior testis fuit in litteris monasterii Heusdorffensis ab Alberto Degenere datis, (r) & a. 1269. in aliis ejusdem monasterio Altenburgensi concessis. (s) Porro idem Albertus civitatem *Lopschitz*, quam parens acqvisierat, Henrico militi de *Scheshorve* vendidit. Trium quoque mansorum in villa *Gnaschwitz*, quos pater cum censu principali monasterio Altenburgensi contulerat, *Censum secundarium*, qui *Castrensis* dicitur, videlicet filiginis tres modios, & avenæ tres, cum novem denariis, pro quatuor marcis eidem vendidit. Denique eidem monasterio contulit tres mansos in villa *Lubevitz*, ad anniversarium suum & majorum suorum celebrandum, candelas accendendas, convivium claustralibus, (quod tunc *servitium* vocabant) & erogationem pauperibus faciendam. (t) Annus, quo diem obiit, est incertus.

§. 7.

- (n) Dipl. apud Hornium Henr. Illustri n. 14. *Gleichensteinium* Gotha dipl. V. p. 198. *Liebigum* p. 25.
 (o) Dipl. in *Koenigs Adels-Historie* II. p. 338.
 (p) Dipl. apud *Liebigum Spicil. Henrici III.* p. 43.
 (q) *Fabricius Annal. urbis Misnae.*
 (r) Dipl. in *Thuringia sacra* p. 353.
 (s) Dipl. apud *Liebigum* p. 22.
 (t) Dipl. apud *Schwartzium* p. 1181.

§. 7.

THEODERICVS I.

A. 1260. occurrit in litteris Lipsiæ datis & ad domum Teutonicam Hallensem spectantibus. (u)

§. 8.

HENRICVS III.

Burggravius de Aldinburg, Canonicus Numburgensis, a. 1271. testis fuit in diplomate monasterii Bosaugiensis.

§. 9.

ALBERTVS III.

Alberti II. filius. A. 1275. fuit Iudex provincialis terræ Plissenfis ab Alberto Thuringiæ Landgravio constitutus, & quædam bona a Theoderico de Liznik resignata mon. Altenburgensi adjecit, jura quoque illius auxit. (x) A. 1279. adhuc fuit Iudex generalis terræ Plissenfis, & rogatu Heidenrici Præpositi Altenburgensis omnia illius monasterii privilegia transumi jussit. (y) Eodem anno eidem Ecclesiæ unum talentum in moneta Altenburgensi contulit. (z) Idem Albertus adhuc memoratur a. 1291. in litteris Theoderici fratris, de quibus inferius. Denique is Albertus & filius Henricus laudato sæpius monasterio omnem decimationem & censum quocunque nomine nuncupatum, confirmarunt, eam partem montis, quæ ad Henricum Stangonem pertinebat, contulerunt: iidem duo talenta nummorum in moneta Altenburg, duos mansos, tres agros & quartale in Rotyn contrulerunt. (a) Mortuus est ante annum 1299. id quod ex diplomate inferius producendo patebit.

§. 10.

THEODERICVS II.

Alberti II. filius. Jam a. 1282. memoratur, sed nihil de eo

no-

(u) Dipl. apud Ludewig Reliqv. V. p. 117.

(x) Dipl. apud Schwartzium 1075.

(y) Dipl. apud Liebium p. 40.

(z) Schlegelius de numis Gothanis p. 8.

(a) Dipl. apud Schwartzium p. 1182. 1183.

notatu dignum additur. (b) A. 1283. *Theodericus* præfectus de Aldenbere dictus *Schuliz* testis fuit in diplomate, quod infra occurrit. A. 1284. 5. Kal. April. Reinhardus Pugil, civis Dresdensis, villam *Gryfendorf*, quam a Theoderico nostro tenuit, eidem, hic vero Henrico Illustri, Marchioni resignavit, qui proprietatem illius in monasterium Cellense transtulit. (c) A. 1288. XI. Kl. Martii testis fuit in diplomate Theoderici Junioris, sive Titzmanni, Landgravii. Idem *Szulis* burchgravius de Aldenburch testis est in alio, quod Fridericus Admorfus dedit a. 1290. Anno sequenti XI. Kal. Martii Theodericus septem mansos in inferiori villa Lyddelow & in villa Seluwizc sitos, in remedium animæ suæ & conjugis, nec non fratris *Alberti*, & filii ejus *Henrici* defunctorum, monasterio modo dicto tradidit, confirmante id ipsum Friderico II. Imperatore, cujus aurea bulla a Buchensibus in placito provinciali Altenburgensi exhibita fuerat. Ratio vero hujus donationis fuit, quia *Albertus* ejusque filius *Henricus* præfato monasterio damnum intulerant, quod ad ducentas marcas computatum erat. (d) Eadem res repetitur in aliis litteris Theoderici de Lyznic, qui illos mansos beneficio Burggraviorum Altenburgensium possederat, sed ita, ut jam addantur alii mansi, quos hic ab Imperio in feudo habuit. (e) A. 1295 testis fuit in litteris Henrici Comitis Orlamundani monasterio Heusdorffensi concessis. (f) A. 1296. die festo Annunciationis Mariæ, idem monasterio sanctimonialium in Franckenhaußen, pro remedio animarum *Alberti* patris, & *Alberti* fratris, tres marcas argentii in *Arnoldisdorf*, post resignationem *Conradi de Weisbach*, concessit. A. 1299.

B

in

(b) Liebius p. 19. Koenigs Adels-Historie II. p. 340.

(c) Griebnerus Progr. de titulo Comitis Palat. in litteris Henrici Illustris p. 31.

(d) (e) Dipl. apud Schwartzium p. 1078. 1039.

(f) Dipl. in Thuringia sacra p. 367.

in favorem ejusdem monasterii Buchensis literas dedit, quibus testatur, villam *Nuenbain*, ab *Alberto* fratre, ejusque filio *Henrico* possessam, & ab Imperio jure feudali recognitam, ab *Henrico* autem *Conrado* militi de *Coupbungen* in compensationem debitorum traditam fuisse. In inscriptione se quoque Dominum castri *Rochsberc* appellavit. (g) Tandem a. 1301. litteras prolixas dedit monasterio Altenburgensi, in quo majorum suorum erga illud merita recenset, quæ singula suis locis jam supra monuimus. Illud diploma nobis ad Genealogiam Burggraviorum contexendam maximo fuit usui. Confirmat autem *Theodericus* omnia, quæ majores ejus huic monasterio donaverant; ipse vero sequentia addidit, unum mansum & dimidium in *Rotyzz*, quos *Ludovicus* & *Conradus Hircus*; & unum hortum in *Pordize*, quem *Hermannus de Cygelbeim*, & postea *Henricus* monetarius in *Aldenburg* a se, in feudo tenuerunt. (h) Confirmant hoc ipsum negotium duo filii ejus *Albertus* dictus de *Rochsberc*, & *Theodericus*.

§. II

HENRICVS IV.

Alberti III. filius. Mentio ejus fit a. 1280. (i) A. 1282. litteras patris sui a. 1275. datas ratas habuit & confirmavit. (k) A. 1283. quatuor mansos in villa *Glumin*, quos *Theodericus* de *Lyznik* titulo feudali ab ipso habuerat, *Theoderico* juniore Landgravio, Judici terræ *Plishensis*, in favorem monasterii *Buchensis* resignavit. A. 1288. *Henricus* prefectus in *Cinnenberch* testis fuit in diplomate *Buchensi*. Eodem anno molendinum in prato ad villam *Lodlam* situm fratribus domus *Teutonicæ* dono concessit,

(g) Dipl. in Prætermisiss de *Conn. Kauffungio* §. 6.(h) Dipl. apud *Schwartzium* p. 1180.(i) *Liebius* l. c. p. 19.(k) Dipl. apud *Schwartzium* p. 1074.

fit, ut testantur litteræ d. 18. Febr. Altenburgi datæ, quas vidit P. M. Sagittarius. (l) Idem addit, Henricum illum se Ronneburgi Dominum appellasse, in qua re ipse falsus fuit, & ductus scripturæ veteris non satis adsecutus est. Scriptum enim fuit *Cinnenberg*. Nam Ronneburgum, quod ex historia illius urbis a Ven. Lœbe-ro edita, constat, non Burggraviis sed Advocatis Widenibus paruit. A. 1289. tanquam præfectus Landgravii testis fuit in Dipl. Dobrilu-censi: (m) A. 1290. in dipl. Altenburgensi. (n) Mors ejus incidit in a. 1291. vel sequentem, quia diplomata variant. In literis a. 1291. postridie Philippi & Jacobi datis jam defunctus traditur. Et tamen extant aliæ a. 1292. Indict. V. in vigilia & die Ægidii datæ, in quibus Theodericus & Henricus fratres, Alberti filii, monaste-rio Buchensi septem mansos in inferiori *Lyddelow* & *Selwvitz* tra-diderunt, id quod factum fuisse dicitur in castris apud arcem Schel-lenberg, quam Fridericus Landgravius obsederat. (o) Si his litteris fides habenda, Theodericus major natus fuit, Henricus minor. Sed vereor, ne illæ a monachis interpolatæ aut depravatæ sint, quia ille, qui a. 1291. bis defunctus esse dicitur, anno sequenti superesse non potuit.

§. 12.

THEODERICVS III.

Alberti III. filius. Hujus semel tantum mentionem injectam in-veni, & quidem in literis, de quibus modo egimus.

Porro hic Theodericus & Henricus adhuc unum vel plures fra-tres habuerunt, id quod docet diploma a. 1291. ubi Henrico *fratres* adscribuntur. (p) Nomina verro & gesta illorum sunt obscura.

B 2

§. 13.

- (l) P. M. Sagittarius Progr. de Altenburgo p. 7.
 (m) Dipl. apud Ludewig Reliqv. I. p. 151.
 (n) Liebius l. c. p. 19.
 (o) Dipl. apud Schwartzium p. 1081.
 (p) Dipl. apud Schwartzium p. 1080.

§. 13.

ALBERTVS IV.

Theoderici II. filius. A. 1303. litteris datis testatur, se una cum patre *Theoderico*, & *Henrico* patruo, (dudum igitur ante id factum oportuit) Ecclesiæ S. Mariæ in Altenburg, unum feudum majori Luben adjacens, quod *Sifridus de Steinbach* colit, contulisse. (q) A. 1304. 4. Cal. Junii, annonam in *Budovvil*, quæ vulgo *Burgkorn* appellatur, monasterio Posaviensi donavit. (r) Eodem anno, die festo Jacobi Apostoli, testis fuit in litteris *Henrici de Schellenberg*, Capitanei ac Judicis provincialis in terra Plisnensi ab Alberto Imp. constituti, cum is villam *Tepil* a *Conrado* sive *Tunzoldo de Coupungen* emtam monasterio *Buchensi* tribueret. Eodem tamen anno, sed sine mentione diei, adsunt alia litteræ *Alberonis Burggravi* *Leisnicensis*, quæ idem confirmant, & addunt, illum *de Castell* tunc fuisse Judicem terræ Plisnensis. In his posterioribus autem litteris *Albertus* noster *Alberonis Leisnicensis avunculus* appellatur. A. 1305. festo *Andræ*, *Albertus* piscationem in *Thepil*, quam *Hermanus de Stupitz* ab ipso beneficii loco habuit, & navigium *germ. die Febr.* monasterio *Buchensi* appropriavit. A. 1306. testis fuit, quum *Fridericus de Schonenburg* fœdus iniret cum *Altenburgo*, *Cygnea* & *Chemnitio*, & sigillum quoque confirmationis causâ adjecit (s) A. 1317. in comitatu *Friderici Landgravi*, *Gothæ* testis fuit in litteris *Reinhardsbornensibus*. (t) A. 1319. una cum aliis transactionem inter *Fridericum Admorsum* & *Witegonem Episcopum Misnensem*, propter venditionem civitatis *Dresdensis* initam, conclusit. (u) Annis sequentibus in comitatu hujus *Friderici* ejusque filii *Friderici Severi*

(q) Dipl. in *Kœnigs Adels-Historie* II. p. 340. 341. per-(r) Dipl. apud *Paul. Langium Chron. Citic.* p. 822. *Leuckfeld vom Kl. Posau.* p. 33.(s) Dipl. in der *Schœnburgischen vorläufigen Gegen-Anzeige Beyl.* A. 3.(t) Dipl. apud *Schannat Vindem.* I. p. 132.(u) Dipl. apud *Tentzelium Vita Friderici Admorsii* p. 975.

permanfit, fic ut a. 1322. in litteris monafterii Grünhainenfis, a. 1323. Ilmenfis, (x) a. 1325. Ifenacenfis, (y) Buchenfis & Nimenfis, & literis Friderici Admorfi (z) inter teftes inveniatur. Poft illa tempora obiit, fed incertum quo anno. A. vero 1333. Otto Burggravius Leisnicenfis, pro remedio fuorum, & Alberti quondam Burggravi de Aldinburg, foceri fui, villam defertam *Monokdorf* monafterio *Dobelinenfi* tradidit. (a) Vxor illius fuit *Suvinka*, (b) quod nomen originem Bohemicam prodit. Schwartzius ex gente Cutheniorum de Geita oriundam fuiſſe auguratur, ratione non adita, niſi quod forte nomen illi familiae conſuetum fuit.

§. 14.

THEODERICVS IV.

Theoderici II. filius. Ejus mentio ſemel tantum fit in litteris anni 1283. ubi una cum patruo Henrico tranſegit inter monaſterium Buchenſe & Kauffungios. Prior dicitur de *Rochsperc*, alter de *Cinninberc*, uterque Burggravius Altenburgenſis. (c)

§. 15.

ELISABETHA.

Alberti IV. filia, nupſit Ottoni Burggravio Leisnicenſi, & praefecturam Rochsberg dotis nomine ad Leisnicenſes tranſtulit, unde in Excerptis diplomatis Altenburgenſis Praefectiſſa de *Rochsberc* dicitur. (d)

B 3

§. 16.

- (x) Dipl. in Thuringia ſacra p. 572.
- (y) Dipl. apud Wern. Hackium de Comitibus Templimontanis p. 343. 344.
- (z) Sagittarii Progr. de Altenburgo p. 7.
- (a) Excerpta dipl. apud Schwartzium p. 1107.
- (b) Dipl. apud Eundem p. 1054.
- (c) Dipl. in Praetermiſſis de Conr. Kauffungio §. 3.
- (d) Dipl. apud Schwartzium p. 1048. 1054. 1085. ejusque annot. p. 900. 1085.

§. 16.

THEODERICVS V.

Fuit primo Marschalcus, deinde Magister Ordinis Boruffici. Sunt, qui eundem Comitibus Oldenburgensibus vindicare voluerunt, ad quos pertinet ipse Hartknochius. Is autem ex Hennebergero suo rectiora edoceri poterat, utpote qui expresse illum Burggravium Altenburgensem dicit, & rosam in insignibus illius ponit. Recte quidem: nam non solum Dlugoffus eum semper *Theodericum de Aldenberg* vocat, sed & ipse in diplomatibus paullo post producendis *Burggravii Altenburgensis* nomine insignitur. Postquam ordini Boruffico nomen dedit, primum a. 1325. Commendator Ragnitensis, a. 1326. Bartensis fuit, post Marschalci dignitatem nactus est, qua primum anno 1331. ornatus memoratur (e) Dlugoffus vel ejus descriptor memoria lapsus est, quando ipsum a. 1307. *Magistrum Prussiae* vocat, quem tamen anno sequenti recte Marschalcum nominavit: (f) & a. 1335. ab hoc gradu Marschalci, ad dignitatem Magistri evectum esse scribit. (g) Et sane jam in antiqvis Dlugoffi codicibus hic lapsus deprehenditur. quia Cromerus illum secure secutus est. (h) Videor. mihi originem hujus erroris deprehendisse in litteris Ludovici Imperatoris Romani, a. 1337. datis, in quibus Theoderico nostro Burggravio de Aldenburg, Magistro generali Borussiae, concedit, ut castrum aliquod in Lithuania situm, quod Henricus Bavariae Dux Lithuanis extorserat, *Bavaria* nomine diceretur. (i) Scriptores Polonici eam rem ad a. 1307. referunt, quo tempore Ludovicus ad Imperatoriam dignitatem nondum pervenerat. Malim ergo cre-

- (e) Schützius Chron. Boruss. II. p. 60. a. 61. a. 65. a. 6.
 (f) Dlugoffus Hist. Polon. IX. p. 923. 925.
 (g) Ibid. p. 1036. Schützius p. 67. b.
 (h) Cromerus Hist. Polon. IV. 13.
 (i) Dipl. apud Ludewig Reliqv. I. p. 338. & in Actis Borufficis III. p. 551.

credere, hanc rem aliquot annis post gestam, & fortasse folium aliquod ex schedis Dlugossi excidisse, quod deinde loco alieno insertum fuit. Quæ ab ipso in Borussia gesta sunt, tangere nolumus, quia ad historiam nostram parum conducunt, & apud Scriptores Polonicos & Borussicos facili negotio evolvi possunt. Vivere desit a. 1341. die 15. Junii. (k)

§. 17.

ALBERTVS V.

Senior a. 1338. monasterio *Sornitzk* unam marcam contulit. (l)
Plura non inveni.

THEODERICVS VI.

A. 1351. Conventus Sanctimonialium in *Ober-Wymar*, monialibus in Capellendorf unum mansum in villa *Bötshowe*, a Theoderico Burgravio de Aldenberg ipsis appropriatum, vendidit. (m) Possunt hæc ad aliquem ex Theodericis superioribus referri, quia vero annus illius appropriationis nondum notus est, nolui certi quidquam adfirmare. Interim alius adest Theodericus, qui *sexti* nomine veniet. Nimirum a. 1352. in Vinculis Petri Theodericus Burggravius *Aldenbergensis*, Friderico, Wilhelmo & Georgio, Landgraviis Thuringiæ & Marchionibus Misniæ, arcem suam Altenburgensem cum omnibus ad illam pertinentibus, quemadmodum omnia ab iisdem beneficii loco possederat, pro mille quingentis sexagenis grossorum Fribergenium vendidit. Ex quibus quingentas parata pecunia exhibitas accepit, pro reliquis sibi vitalitium comparavit. Eodem die Landgravius laudati promittunt, se vitalitium illud Burggravio diligenter exhibituros. Iidem eodem die promiserunt, se post annum exactum, eundem Burggravium rursus in arcem Altenburgensem recepturos, & censum vitalitii per Officiale accurate soluturos. Porro si contingat, ut ipsi ex *Anna* conjugæ filius nascatur, promittunt, se ipsi arcem pro summa prædicta reddituros: si autem filia, se ipsi de rebus pro conditione ipsius necessariis luculenter prospecturos. (n) Ex illo autem tempore, quum monumenta historiarum de his Burggraviis nihil amplius proferant, videtur hic ultimus suæ gentis fuisse.

§. 18.

(k) Dlugossus IX. p. 1061.

(l) Excerpta dipl. apud Schwartzium p. 1107.

(m) Dipl. apud Hornium in Vita Friderici Bellicosi p. 693. seqq.

§. 18.

Hæc præmissa sunt, ut Lectores invitaremus ad audiendas orationes eorum adolescentum, qui finita lustratione verna scholæ nostræ vale dicent, & ad Academicum stadium percurrendum sese conferent. Proposui ipsis materiam dicendi, ut in LAVDES SAXONIÆ nostræ excurrerent, & beneficia divina, quæ terris nostris clementissime concessa sunt, exponerent. Id autem facient ordine sequenti.

1. JO. GODOFREDVS LISTMANN, *Wittebergensis*, celebrabit *Puritatem Religionis*.

2. GODOFREDVS FOERSTER, *Breitenaviensis ex vicinia, Lauensteinii, Clementiam Principum*.

3. CAROLVS GOTTLIEB LARIVS, *Dresdensis*, *Fortitudinem Principum*.

4. CHRISTOPHORVS QVODVVLTDEVS HAVPTMANN, *Rosviniensis*, *Florem litterarum*.

5. JO. GOTTLÖB ROTHE, *Kirebbayna Lufatus*, *Saxoniam compendium quoddam rerum naturalium in aliis regionibus sparsim occurrentium* exponet.

6. MAXIMILIANVS AVGVSTVS STROFHER, *Klepzigensis Saxo*, *Officium nostrum circa hæc beneficia divina pensabit, suoque & reliquorum nomine Patronis ac Præceptoribus gratias aget.*

7. GODOFREDVS SCHRENCKENDORFF, *Dresdensis*, *Fidelitatem subditorum Saxoniorum Carmine vernaculo prædicabit, & abeuntibus bona quævis precabitur.*

Has igitur orationes ut Patroni ac Fautores Scholæ nostræ benevole audiant, eamque ob causam d. 25. mensis Aprilis, hora secunda post meridiem, in Schola nostra frequentes adsint, omni, qua decet, pietate ab omnibus & singulis contendo. Dab. Dresdæ d. 15. Aprilis, c10 10 cc xxxviii.



Pon *Zd* 5497

ULB Halle 3
002 691 949



St



mc





x 9

Q. F. F. Q. S.
 EX HISTORIA MEDII ÆVI
 DE
 BVRGGRAVIIS
 ALTENBVRGENSIBVS
 DISSERIT,
 SIMVLQVE
 MV SARVM AC SCHOLÆ CRVCIANÆ
 FAVTORES AC PATRONOS

D AVDIENDAS
 APRIL. clō lō ccxxxviii.

IONES VII.

ORIFICE INVITAT

VS SCHOETTGENIVS,
 RECTOR.

D RESD Æ,
 IS HARPETERIANIS.

9.

